



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

12. Aliæ tristiores innuptæ nuptiæ in luctu[m] desinentes; ite[m] S.  
Bernardi ad Eugeniu[m] Papa[m] admonitio de Morte.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45701**

brachiorumque, atque etiam pedum exanimi motu cadauer representaret. Rogavit itaque sponsum vnus laruatorum, vti fatigatos seduceret in secretum cubile, vbi vultibus reuelatis, vini se se haustu possent refocillare. Annuit sponsus, & ipse se ducem præbuit. Sed vbi ad locum secretum venit, circumdatus repente à laruatibus & strangulatus est. Detractis igitur vestibus, vestem ei Scenicam similem vestibus ludentium, inducunt, & vultum laruâ tegunt, sellamque impositum cadauer ad sponsam, in medium portant chorearum. Ibi inspectante tota hominum reliquorum corona, tamquam circa fictum funus varijs gestibus saliant. Iam manum hanc, iam illam leuant, mox iterum relapsam; iam hunc, iam illum pedem attollunt, haud aliter recidentem, atque solent membra verè mortuorum. Ita inter saltandum, vno post alterum, dilapso, cum se solus, qui in medio sellam occupabat loco, mouere non vellet, accesserunt ad illum ij, qui choreas suas prosequi auidè cupiebant, vt eum excitarent, sed frustra & vellicabant, & caput erigebant. Itaque illo, ceruice in humerum languidè reflexa, immobili existente, tandem morâ impatientes, seriò agendum censuerunt, illique laruam de fronte detraxerunt. Ibi & sponsus est agnitus, & verè mortuum agens inuentus, cum quanto dolore amicorū & ipsius sponsæ, vos cogitate. Nimirum *risus dolore miscbitur, & extrema gaudij luctus occupat.* Interim, qui facinus patrauerant, se se, in nescio quas plateas atque domos illatebrauerunt. Sponsa inter duos procos nullo potita est. Paranymphe, & qui Thalassionem canebant paulò antè, postea Lessum cecinerunt.

Prot. 14. 13.

XII.

Verùm vt humanarum voluptatum incertitudinem ac vanitatem tantò clariùs perspiceremus, aliæ longè altiores nuptiæ, ne ad choreas, quidem, aut epulas peruenierunt, sed eo ipso tempore atque hora à morte intercissæ sunt, qua domum ducenda erat sponsa. Rem Antonius Bonfinius ita narrat. *Ladislavus Vngarorum & Bohemia Rex, præstantissimam ad Gallia Regem Carolum legationem, quâ filiam Magdalenam Ladislao desponsatam adduceret, misit. Huius Princeps fuit Vdalricus Pontifex Passaniensis. Ex Principibus Vngarorum ducenti; ex Australibus quoque ducenti, ac totidem ex Boemia delecti sunt: qui forma, habitu, nobilitate apparatusque, pol-*

Anton. Bonfin. lib. 8. Dec. 3.

D d d d

lerent,



lerent, & quisq; regno dignus videretur. F. Pataviensibus centum delegit Udalricus. Quare septingenti equites in Galliam, purpura, auro, gemmisq; ornatissimi abierunt. Item virgines & matrona, que regiam sponsam ducerent, quadringenta, splendidissimo cultu, ac venustate. Omnes praterea quadriga aurata, gemmataq;. Inaudita insuper vestium, donorumq; luxuria. Eo autem die, quo Parisios legatio illa ingressa est, ante, quam confideret, de repentino regis Praga mortui interitu à tabellario admonetur. Quo nuntio consternata, cum clam Carolo regi generi necem significasset, tanto Principem illum dolore correptum fuisse aiunt, ut neq; responsum dare, neq; illam tristissimam abeuntem alloqui potuerit. Soluta hoc modo legatione suam quisq; domum maestus rediit. Nimirum, ut sapiens dixit: Risu dolore miscbitur, & extrema gaudij luctus occupat. Quæ cogitatio, quia & in voluptatem effusis fibulam iniicit, & dignitate honoris de superbia periclitantibus cristas euellit, D. Bernardus postquam certo nuntio intellexit, Abbatem suum Eugenium in Summum Pontificem electum esse, litteras ad eum dedit cedro dignas, in quibus inter cetera, etiam hæc leguntur: Confortare, & esto robustus, manus tua in cervicibus inimicorum tuorum. Vindica tibi animi tui constantiâ & vigore spiritus partem, quam dedit extra fratres tuos tibi omnipotens Pater, quam & tulit de manu Amorrhæi in gladio & arcu suo. In omnibus tamen operibus tuis memento te esse hominem; & timor eius, qui aufert spiritum Principum, semper sit ante oculos tuos. Quantorum in brevi Romanorum Pontificum mortes tuis oculis aspexisti? Ipse te prædecessores tui, tua certissima & citissima decessione admoneant, & modicum tempus dominationis eorum paucitatem dierum tuorum nuntiet tibi. Ingi proinde meditatione inter huius presentis gloria blandimenta memorare nouissima tua, quia quibus successisti in Sedem, ipsos sine dubio sequeris ad mortem. Atque hæc de varijs modis ac generibus mortium, ratione corporis, dicta sufficiant. Nunc quoniam, etiam teste Epicteto, magis necessarium est, anima, quam corpori mederi, cum præstet mori, quam male vivere, & quia à momento mortis penderet æternitas, videamus etiam diuersos modos moriendi ratione animæ, quæ tentationes aut vincit, aut illis succumbens, victa malam mortem æternam luit: ut discamus, in illo agone extremo potiùs coronam-

Prou. 14. 13.

S. Bernard.  
epist. 237.  
An. Domin.  
1145

Anton, in  
Meliss. p. 1.  
serm. 58.



triumphalem, quàm æterna supplicia promereri. Ideò namq; tempus illud agón vocatur, quia in illo certatur pro re summi momenti. Neque sine gravissimis causis illud certamen permittit cælestis Agonothera, qui ut omnem vitam hominis vult esse tentationem; ita neque in termino vitæ vult nos esse immunes, ut semper vigilemus. De tentatione igitur paulò altiùs est disputandum.

CAPVT LIII.

*Iusta Dei esse iudicia, quando homines tentari permittit, siue vincant, siue victi resurgant.*

**R**igus, famem, sitim, carceres, morbos, mortes corporum, habere in diuina prouidentia locum, facile fuit ostendere; rectè enim illis vitur summa illa & dominatrix potestas ad virtutis exercitationem, aut malorum facinorum pœnam. Illa maior est quæstio: An diuini iudicij æquitas pati possit, ut homines labantur in tentationem? Siquidem, teste Iob, *Militia est vita hominis super terram*, seu, ut alia habet transcriptio: *Tentatio est vita hominis super terram*, nec vita tantùm, sed etiam mors hominis est tentatio, quæ cum plena sit periculi, plena est etiam quæstionis; magis, quàm si de fame, siti, morbis, alijsq; malis agamus. *Accidentibus illis corporis malis afflicti homines ad DEVM plerumq; confugiunt, misigant, obsecrant, credentes eum posse has injurias propulsare*; at quid iuuat in peccatum cadere? quid tentari? an non, qui scandalum ponit, videtur esse causa ruinæ? Ita de ipsis tentationibus à DEO vel permissis, vel immixtis quidam tentantur. Et certè, *quàm diu in mundo vivimus, sine tribulatione & tentatione esse non possumus*. Immo, *nemo tam perfectus est & sanctus, qui non habeat aliquando tentationes, & plenè eis carere non possumus*. Auget quæstionem communis hostis nostri ingenium vaferrimum, odium plus quàm inueteratum, artes & arma terrificæ; hominum simplicitas, viriumq; imbecillitas ad resistendum, experientia quotidiana succumbentium, etiam in vltimo mortis agone. Ut perinde hæc animi mors longè sit, quàm corporis magis metuenda. Quâ igitur iudicij diuini æquitate, aut quibus iustis de causis hæc contingunt?

I.

Iob. 7. 2

Lactant. lib. de ira. cap. 16.

Thom. de Kemp. lib. 1. de Imit. c. 13. 1.

Dddd 2 gunt?